



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XLVI. De Voto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

tempore; nam tunc certè incurreret excommunicationem.

12. *Quer.* Qua de causa permittat Deus, ut homines obsideantur à Diabolo? *Resp.* Ut plurimum ob eorum peccata; ut pluribus exemplis demonstrat Schottus in *Physica Cur. dict. lib. 4. cap. 14.* ubi in fine advertit, quòd ex hac obsessione vult Deus, quòd discamus, esse Dæmones ad confundendos Atheos; & quàm malum sit, subesse tyrannidi Dæmonum per peccata, adeò crudelium contra homines.

CAPUT XLVI.

De Voto.

1. *Quer.* Quid sit *Votum*? *Resp.* Est deliberata promissio Deo facta, de re ipsi grata. Tamburin. *lib. 3. in Decal. cap. 9. num. 1.* seu de meliori bono. Mastrius in *Theol. Moral. disp. 11. num. 59.* Gobat. in *Opusc. de Voto num. 3.*

2. *Quer.* Quot requirantur ad constituendum *Votum*? *Resp.* Quinque. Primò, ut sit voluntarium. Secundò, ut sit probatum. Tertio, ut sit promissio sub obligatione. Quartò, ut sit facta Deo. Quinto, ut sit de re Deo grata. Tambur. *d. cap. 9. num. 2.* Mastrius *d. num. 59.*

3. *Quer.* Quotuplex sit *Votum*? *Resp.* Plures dari divisiones *Voti*.

Prima, quòd aliud sit solemne, eò, quia acceptatur ab Ecclesia in Ordine sacro, & in Religiosa Professione; & aliud sit privatum.

Secunda, quòd privatum *Votum* aliud est Absolutum, aliud Conditionatum, & aliud Pœnale.

Tertia, quòd aliud est de re præcepta; aliud de re libera.

Quarta, quòd aliud est Reale, aliud Personale, & aliud Mixtum.

Quinta, quòd aliud est Affirmativum, ut dare eleemosynam, aliud Negativum; ut abstinere à carnibus, à ludo.

Sexta, tandem, quòd *Votum* aliud est Perpetuum, & aliud est Temporale. Tambur. *dict. cap. 9. num. 1.* Mastrius *dict. disp. 11. num. 60.*

4. *Quer.* Cum *Votum* sit deliberata Promissio, qualis esse debeat hæc deliberatio? *Resp.* Ea, quæ requiritur ad peccatum mortale. Nam *Votum* est lex, quam sibi Vovens imponit; idèò hæc impositio fieri non debet sine maturo iudicio, plenoque imperio libertatis. Gloss. in *cap. Mulieres 32. quest. 1.* Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 1. num. 3.* Igitur non est opus exactissima discussione in faciendò *votum* validè, sed sufficit tanta advertentia, quanta sufficeret ad peccandum; & ita valent *Vota* facta in calore iracundiæ, vel timoris. Tamburin. *dict. lib. 3. in Decal. cap. 10. §. 1. num. 1.* ubi notat, Vovere cum semiplena deliberatione, esse peccatum veniale, quia in re gravi adest defectus prudentiæ, & *Votum* non valere. Mastrius *d. disp. 11. num. 59. & 61.*

5. *Quer.* Qui dubitat, an voverit cum

sufficienti deliberatione, nec ne? Utrum teneatur ad *Votum*? *Resp.* Affirmat Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 1. num. 14. & 15.* negat Palaus apud Tamburin. *lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 7. Verbo Votum numer. 19.*

6. *Quer.* An sit valida Professio illius Monialis, quæ parata ad profitendum tali die; recitat suam voluntatem animo spontè distracto, & sine actuali attentione? *Resp.* Esse validam, quia extat virtualis deliberatio, quæ sufficit in omni actu, etiam confessione Sacramentorum. Tambur. *dict. lib. 3. cap. 10. §. 2. in Decal.*

7. *Quer.* Quid sit *Propositum*? *Resp.* Est deliberatio in voluntate faciendi opus. Tambur. *dict. lib. 3. cap. 11. num. 1.* Idèò ad essentiam *Voti*, ultra *propositum* requiritur promissio, & sic alter actus voluntatis distinctus à primo. Mastrius *dict. disp. 11. num. 59.*

8. *Quer.* An resilire à *Proposito* faciendi certum bonum opus sit peccatum? *Resp.* Affirmat Palaus apud Tamburin. *ubi supra*, quia est defectus constantiæ; at negat Sanchez *ibidem*. quia cum nulla lex præcipiat illud bonum opus, si deferatur, nullum est peccatum; & ita tenet etiam Tambur. *dict. cap. 11. num. 2.* Et est tex. in *Cap. Litteraturam, de Voto, & Voti redem.* Gobat in *Opusc. de Voto num. 5. & seqq.*

9. *Quer.* An teneatur ad *Votum*, qui promisit aliquid Deo, cum intentione non se obligandi? *Resp.* Non teneri, nisi *Votum* sit ex iustitia, quale est in Ordine sacro, & Professione Religiosa; in his enim omnis Vovens, etiam nolens obligari, obligatur. DD. apud Tamburin. *dict. lib. 3. cap. 12. num. 2. & 3.* ubi quòd quis potest vovere rem gravem sub sola obligatione venialis peccati. Mastrius *d. disp. 11. num. 61.*

10. *Quer.* An sit obligatus *Voto*, qui vovit animo se obligandi, sed animo non exequendi? *Resp.* Esse obligatum, quia distincta est executio ab obligatione; & hæc est obligatoria, licet habeat malam voluntatem non exequendi, ob quam lethaliter peccabit. DD. apud Tambur. *d. lib. 3. cap. 12. num. 4.* ubi confutat Valentiam asserentem contrarium.

11. *Quer.* E contra, an sit obligatus *Voto*, qui Vovens habuit animum exequendi *Votum*, sed intendit, se non obligare ad *Votum*? *Resp.* Non esse obligatum. Tamburin. *dict. cap. 12. num. 6. & 7.* ubi DD. inter se contrarios.

12. *Quer.* An peccet, quem pœnitet *Voti* facti? Si fidelis sit in exequendo *Votum*, probabile esse, quòd non peccet, etsi doceat, vel pœniteat, se novisse. Tambur. *d. cap. 12. §. 2. num. 5.*

13. *Quer.* An *Votum* factum pro anno venturo, obliget statim? *Resp.* Negative, sed ad tempus præfixum. Tamburin. *dict. cap. 12. §. 3. num. 1.* ubi DD.

14. *Quer.* An qui prævidet, anno venturo non posse exequi *Votum* destinatum pro dicto anno, teneatur prævenire nunc in executione, si possit? *Resp.* Non teneri, licet benè faciet præveniendo. Ratio est, quia

non

non se obligat ad exequendum, nisi anno venturo. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 11. num. 14. Tambur. d. §. 3. num. 2. & 3. Ubi quod si vovit jejunium in mense Novembri, & prævidet in fine mensis, non posse exequi, tenetur jejunare in principio, quia ab initio mensis incipit obligatio; sicut ille, qui prævidens non posse audire sacrum die Dominico, non tenetur audire die Sabbathi; sed prævidens non posse audire hora decima octava, si potest, audire debet hora decima quarta illius diei Dominici. Layman, lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 5.

15. *Quer.* Quantum possit retardari executio Voti, ubi à vovente nullum fuit determinatum tempus? *Resp.* Teneri ad executionem, quamprimum potest sine notabili detrimento. Hinc, qui vovit Religionem, potest differre ingressum, donec vel scientiam, vel vires acquirat; vel Pater consentiat. Tambur. d. cap. 12. §. 3. num. 5. & 7. ubi quod extensio eò amplior fieri potest in differendo, quò certum est, materiæ Voti nihil præjudicari. Mastrius d. disp. 11. num. 64.

16. *Quer.* Quid dicendum, si certus de Voto, anceps sit circa tempus determinatum ad exequendum? *Resp.* Dicendum esse, prout diceretur de illo, qui sine temporis præfinitione vovisset. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 14. num. 3.

17. *Quer.* Quantum tempus est arbitrandum ad culpam mortalem in dilatione Voti? *Resp.* Discordes esse Doctores. Alii dicunt, quod in Votis occupantibus totam vitam Voventis, ut Religionis, servitii in Xenodochio, & similibus, dilatio trium annorum non facit peccatum mortale. In aliis Votis nullum tempus, in dilatione facere mortale peccatum, si nullum præjudicium fiat executioni Voti. Alii volunt, in primo casu dilationem ultra sex menses esse mortalem; in secundo casu, si ultra duos, vel tres tantum menses differatur. Alii in primo casu considerandam volunt ætatem Voventis: nam si est in 15. circiter anno, potest differre usque ad 20. sine peccato. Quod si vovens sit quadragenarius, non censetur posse differre ultra sex menses absque culpa. In aliis Votis dilatio quæcunque non facit mortalem culpam, ubi non præjudicatur Voto; & ad summum erit culpa venialis, si nulla subsit causa. Tambur. ubi DD. d. lib. 3. in Decal. cap. 12. §. 3. à num. 8. 9. 10. 11. & 12.

18. *Quer.* An Votum Patris obliget filium ad ingrediendam Religionem? *Resp.* Negative, quia potest illum hortari, sed non cogere. Tambur. d. lib. 3. cap. 12. §. 4. n. 1. Decisiones mex. Anni 1689. decis. 62. num. 16. & 17. de Ven. Euch. Sacr.

19. *Quer.* An hæres teneatur adimplere Vota defuncti? *Resp.* Cum distinctione. Vota personalia non tenetur adimplere ex vi Religionis; sed utique ex vi Statuti, sive ex vi contractus. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 15. à num. 16. Vota verò Realia tenetur ex vi iustitiæ juxta vires hæreditarias, etiam in foro conscientiæ. Tambur. d. lib. 3. cap. 12.

§. 4. num. 3. & 4. ubi notat. Primò, esse solvendum æs alienum. Secundò, legitimam debitam consanguineis. Tertiò, Vota adimplenda. Quartò, Legata; quia his Vota præferuntur; nam prior fuit obligatio Votorum, quàm Legatorum. Layman, lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 13. qui advertit, si plura sint Vota realia, & hæreditas non sufficiat ad implenda omnia, non unum tantum esse adimplendum, sed singula pro rata.

20. *Quer.* An Monasterium succedens in bona Professi, teneatur solvere Vota realia ipsius Professi facta ante professionem? *Resp.* Negative; quia per Professionem omnia alia vota irritantur; & hæres non tenetur solvere Vota extincta per irritationem, aut commutationem. Bonacin. de Voto disp. 4. quest. 2. punct. 5. §. 2. num. 7.

21. *Quer.* An filii familias possint facere Vota? *Resp.* Affirmative, si sint septennes; vel etiam ante, si plenum usum rationis habeant. Vota tamen personalia, si & quatenus Pater non contradicat ante, vel non irritet postea; & idem est dicendum de Religiosis, Tambur. alios DD. allegans d. cap. 12. §. 5. num. 5. ubi excipit in Religiosis Votum transeundi ad arctiorem Religionem; & ulterius notat, sed respuit doctrinam Valentini, & aliorum docentium, nulla Vota impuberum, & Religiosorum esse valida, nisi expresse approbentur à Patre, vel à Prælato; quia Deus, qui eos his subiecit, non acceptat eorum voluntatem, nisi approbantibus Superioribus à Deo datis. Tamburinus hanc opinionem non amplectitur, tenens, valere vota non præjudicantia Patri, aut Prælato, donec ab illis non irritentur, & ita sentit etiam Palaus, & Sanchez ibid. citat. num. 8.

22. *Quer.* An vota conditionalia statim obligent? Affirmative, in conditione de præterito vera existente. At in conditione de futuro, obligationem Voti restare in suspensio, donec ipsa verificetur. Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 23. & alii apud Tamburin. dist. lib. 3. in Decalog. cap. 12. §. 6. num. 1. & 2. ubi advertit, Vota sub conditione impossibili non valere; ad differentiam Matrimonii, & Testamenti, in quibus è contra ipsa valent, rejecta conditione, quia sic leges sanxere.

23. *Quer.* An Votum sub conditione factum obliget, si non illa propria conditio adimpleatur, sed alia æquivalens? E. G. Quis vovit eleemosynam, si lucraretur centum ex negotiatione, & ei relinquantur centum ex legato? *Resp.* Non obligare; nisi intendisset eleemosynam vovere quocunque modo centum sibi lucrosè advenirent. Sanchez d. cap. 23. num. 26. Tamb. d. cap. 12. num. 4. §. 6.

24. *Quer.* An mulier, quæ vovit eleemosynam, cum egrederetur domo; & jejunium, cum ingrederetur Ecclesiam, peccet non egrediendo domo, nec ingrediendo Ecclesiam, ne vota illa adimpleat? *Resp.* Non peccare, quia conditio pendet ab ejus libera voluntate. Tambur. dist. §. 6. num. 5.

ubi notat, Votum jejunii supradictum tanquam impeditivum majoris boni, quod est, Ecclesias frequentare, esse de jure irritum; unde potest dicta mulier ad Ecclesiam accedere, absque obligatione jejunandi.

25. *Quer.* An Petrus, qui vovit ingressum Religionis, si ejus Pater consenserit, possit absque peccato rogare Patrem, ne consentiat? *Resp.* Posse, etsi nonnulli id negent; nam rogando, non tollit liberam voluntatem Patris. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 6. *quest.* 1. Tambur. & ibi Sanchez, & Suar. d. §. 6. num. 6. qui num. 7. advertit, quod si vi, aut fraude impediverit consensum Patris, si adhuc vivit, debet cessare à vi, & fraude, ut liberè consentiat, vel non consentiat at si mortuus jam fuerit, Bonacina asserit, obligatum esse, ingredi Religionem; negat verò Layman rationibus ab eis consideratis, & utramque opinionem probabilem Tambur. appellat.

26. *Quer.* Quid Juris, si ille, qui vovit Religionem, & ingressus est in eam, malè se gerat de industria, ut dimittatur? *Resp.* Licet dimissus teneatur ad Votum, & sic iterum petere, ut admittatur, aperiendo fraudem suam, & melius se gesturum promittendo. Quod si Superior adhuc nollet eum recipere, esset ab obligatione voti liberatus. Tambur. dict. lib. 3. in Dec. cap. 12. §. 6. num. 8.

27. *Quer.* An teneaturolvere poenam, qui fecit Votum poenale, toties, quoties frangit Votum? Puta de jejunando, si luserit, vel de peregrinando Hierosolymam, si adulterium fecerit? *Resp.* Si poena est de ordinariis, toties est præstanda, quoties votum frangitur. Si est extraordinaria, & insolita, obligat pro prima vice tantum. DD. apud Tambur. dict. lib. 3. in Decal. cap. 12. §. 7.

28. *Quer.* Quid respondendum illi, qui recordatur, se vovisse sub poena, e. gr. non ludere; sed non recordatur ipsam poenam? *Resp.* Ludendo, teneri ad culpam, sed non teneri ad poenam. Tambur. lib. 1. cap. 2. §. 6. num. 26. & dict. lib. 3. cap. 12. §. 7. num. 4.

29. *Quer.* An teneatur ad poenam promissam pro transgressione Voti, si transgressio sit absque culpa saltem gravi? *Resp.* Non teneri. Sanch. lib. 4. in Decal. cap. 22. à num. 14.

30. *Quer.* An dispensatus à Voto, teneatur amplius ad poenam? *Resp.* Non teneri. Tamburin. d. cap. 12. §. 7. num. 5.

31. *Quer.* An teneatur ad Religionem, qui illam vovit, credens non esse perpetuam? *Resp.* Non teneri, quia erravit in substantia, & essentia Religionis; ideòque talis error irritat Votum; nisi intendisset vovere, prout omnes alii vovent. Tambur. dict. lib. 3. in Decal. cap. 13. num. 1. & 2. ubi numeris seqq. adjungit, quod si error sit in qualitate, tunc si hæc sit magni ponderis, irritat votum; non autem, si sit levis, aut parvi momenti. Ut si quis vovisset Religionem Capucinarum, nesciens eorum corpora tegi rudi panno; vel Carthusianorum, ignorans, eos à carne semper abstinere. Hic enim non tenetur ad Votum. Quæ autem sit qualitas magni ponderis, redundans in substantiam

Voti, pendet ab arbitrio boni Viri. Tambur. ibid.

32. *Quer.* Quid Juris, si error extet in causa finali ipsius Voti? *Resp.* Si causa finalis fuit principalis, Votum non obligat; si verò tantum motiva, obligat, e. g. Vovisti ire Neapolim, credens ibi esse corpus S. Nicolai, non tenet votum. A si voveas ire Barium ad S. Nicolaum, ut etiam ibi salutes amicum tuum; si amicus absit, adhuc teneris votum adimplere. Tambur. dict. lib. 3. cap. 13. à num. 9. & seqq. ubi notat, quod si duæ sint causæ finales æquæ principales, ob quas fit Votum, una earum contruente, contruit & Votum. Item si una sit principalis, & alia dependens; & pereat, quæ principalis existit. Quæ autem sit causa finalis, seu principalis voti, judicanda est arbitrio boni Viri, pensatis motivis, quibus vovens se movet ad vovendum.

33. *Quer.* An sit Votum, si quid promittatur non Deo, sed Sanctis? *Resp.* Rigorose non esse; sed latè sumpto Vocabulo esse, & dici Votum, quia sicut Sanctos rogamus, sic in eorum honorem possumus aliquid boni promittere, & vovere. DD. apud Tambur. dict. lib. 3. cap. 14. Mastrius dict. disp. 11. num. 59. in Theol. Moral.

34. *Quer.* An valeat Votum de re impossibili? *Resp.* Negative, quia de re possibili Votum esse debet. S. Thom. 2. 2. *quest.* 88. art. 2. Hinc non obligat Votum de facto alieno, de non motiendo, de non committendis peccatis Venialibus. Tambur. d. lib. 3. in Decal. cap. 15. §. 1. ubi notat, sic voventem ex bona intentione non esse damnandum de culpa mortali; quia talia Vota habentur tanquam non facta.

35. *Quer.* Quomodo S. Theresia fecit Votum de non committendis peccatis venialibus, ut refert in ejus Vita Didacus de Lopez Episcopus Tarracoen. lib. 3. cap. 1. *Resp.* Ita vovisse ex speciali Dei inspiratione, & de consilio suorum Superiorum. Ita ait Collegium Salmantic. in Theol. Moral. tom. 4. de Voto tract. 17. cap. 1. num. 84.

36. *Quer.* Quid dicendum, si quis voveat duo opera possibilia separata, sed impossibilia simul; ut audire Confessiones die Dominico, & inservire hospitali? *Resp.* Debere eligere, & adimplere, quod est majoris boni; at si utrumque contineat eandem bonitatem, eligat unum tantum pro suo arbitrio, & aliud contemnat. Sanchez in Decalog. lib. 4. cap. 5. num. 23. Tamburin. dict. cap. 15. §. 1. num. 3. & 4. ubi advertit, quod si vovisset ex dictis operibus unum prius, aliud posterius; tunc primum est adimplendum, secundum autem est deferendum, quia obligatio cadit in primo, non in secundo. Verum tamen est, quod si hoc secundum esset majoris perfectionis, deberet perfici, primo relicto, tanquam non amplius obligante, uti impeditivo majoris boni. Sanchez in Decal. dict. lib. 4. cap. 5. num. 24. At huic opinioni non acquiescit Tamburin. dict. §. 1. num. 6. quia secundum Votum tanquam impossibile cum primo non est obligatorium.

27. *Quer.*

37. *Quer.* An sit peccatum, voverem malum? *Resp.* Affirmative, quia fit injuria Deo, cui non est vovenda nisi res honesta, ac bona, ut ei sit grata; & idcirco, si res mala sit ex se peccatum veniale, etiam vovens venialiter peccabit; at si mortale, pariter peccabit mortaliter, & quidem dupliciter, contra virtutem, cui se opponit res illa peccaminosa; & contra virtutem Religionis, siquidem est peculiaris Dei injuria, velle Voto firmare peccatum, S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 2. Tamb. in Dec. d. lib. 3. c. 15. §. 2. n. 1. ubi notat Juramentum promissorium factum homini de re indifferenti esse obligatorium, quia homo illud acceptat, & Deus vocatur tantum in testem illius promissionis; & Juramentum, vel votum de eadem re indifferenti factum Deo non obligat, quia Deus non acceptat, nisi quod sibi gratum est, & capax sui cultus.

38. *Quer.* An valeat Votum de re bona, sed ob finem malum? *Resp.* Cum distinctione. Vel malus finis est precipuum motivum Voti; ut dare eleemosynam pauperi, ut occidat inimicum ipsius voventis; & Votum non valet, imò vovens mortaliter peccat. Vel ipsum Votum de re bona est principaliter intentum, malus vero finis est accidentarius, ut dandi eleemosynam coram multis, ut ab eis laudetur vovens? & in hoc casu Votum valet. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 6. à num. 31. Tambur. dist. lib. 3. cap. 15. §. 2. num. 3. & 4. ubi subdit, quòd si malus finis æqualiter intenderetur à vovente cum animo faciendi rem bonam, adhuc votum non teneret, & qualis esset pravitas finis, talis esset qualitas peccati; ut vovere eleemosynam ad deflorandam virginem, ad honores indignè obtinendos, & similia.

39. *Quer.* An vovere rem bonam, puta jejunium, vel eleemosynam, ut quis ex bello injusto incolumis evadat, vel ex concubina filium masculum suscipiat, vel ex ludo illicito, (sed non injusto) lucrum reportet; sit validum votum? *Resp.* Duas esse opiniones, Suarez d. lib. 4. in Decalog. cap. 6. à num. 31. affirmantem, quia prædicti obtentus non sunt mali, & de eis gratiæ Deo agenda. Alteram Castropalai tom. 3. tract. 15. disp. 1. punct. 8. §. 3. num. 3. negantem, & tenentem, non valere votum, quia sunt de re non bona, cum omnia prædicta imbibant usum mediorum malorum, & hanc retinet Tambur. d. lib. 3. in Decal. cap. 15. §. 2. num. 5. concedens tamen, valere votum, si post suscepta fiat ad gratias agendas.

40. *Quer.* An votum factum in poenam, si res mala committatur, puta adulterium, furtum &c. valeat? *Resp.* Affirmative, quia non fit ad patranda rem malam, sed in poenam, & punitionem mali commissi. Tambur. ibid. num. 6.

41. *Quer.* An quis validè voveat ob rem indifferentem; puta si ingressus fuerit talem domum, si mercaturam fecero; & similia? *Resp.* Cum distinctione; vel Votum fit ob aliquem finem directum ad gloriam Dei, & valebit; secus si absque tali fine, & directione. Tambur. ibid. num. 7. & 8. advertens, quòd si res non sit capax boni finis,

ut si quis voveat, non præscindere ungues in die Sabbati, ob reverentiam Deiparæ, inane est votum, quia illa præscissio nullam causat reverentiam, vel irreverentiam; prout si quis voveat non nare in die Sabbathi, vel non comedere de capite animalium in reverentiam S. Joannis Baptiste. Excipe, nisi ex aliqua circumstantia Votum esset de re bona, puta ad refranandam gulam, ad vacandum orationi, & induendum vestibus humilitatem habentibus, vel devotionem significantibus; ut his, qui in infirmitate vovent, se vestire veste coloris Habitus Deiparæ Carmelitane, vel S. Antonii Patavini.

42. *Quer.* An sit obligatus ille, qui fecit votum cundi ad domum Lauretanam; sed dubitat, an voverit ex devotione, vel ex curiositate, vel ex commoditate conversandi cum puella ab eo dilecta? *Resp.* Secundum Sanchez d. lib. 4. in Decal. cap. 7. num. 28. valere, quia, licet sit incertus de fine Voti, est certus de Voto. At non valere secundum Tamburin. d. lib. 3. cap. 15. §. 2. n. 15. Quia certitudo boni finis in Voto est de essentia Voti, & cum simus incerti de fine, sumus incerti de voto.

43. *Quer.* An ordinatus in sacris, vel Religiosus professus, qui iterum vovit ob suam devotionem castitatem servare, si incidat in molliem, vel fornicationem, teneatur in confessione exprimere, se duplici Voto esse adstrictum? *Resp.* Non teneri, quia multiplicatio nova Votorum non facit differre specie peccatum; nam iterum vovens non contrahit novam obligationem, sed priorem confirmat; sicut, si quis pluries promitteret, se soluturum id, quod ante debebat. Diana, part. 1. tract. 7. res. 9. quæ in Coordin. est tom. 1. tract. 7. res. 75. & ibi Filiuc. tom. 2. tractat. 30. cap. 7. num. 26. ubi dicit, quòd Votum solemne, & simplex differunt tantum accidentaliter, & non est circumstantia in Confessione exprimenda. Secus autem esset, si Religiosus professus, vel in sacris ordinatus juraret, se non esse fornicaturum, & fornicaretur; nam esset obligatus exprimere tam votum, quam juramentum, ea ratione, quia vinculum juramenti est diversæ virtutis essentialis à Voto; & diversa ratione utrumque spectat ad Religionem, nimirum Votum, ut fides Deo servetur; & ne Deus vocetur in testem falsi juramenti. Dian. part. 11. tract. 4. resol. 4. Quæ in Coordin. est tom. 6. tract. 1. resol. 38. num. 8. in fine. Et Eminentiis. Card. de Lauræa in 4. Sentent. tom. 2. de Sacram. Pœnit. disp. 11. art. 6. num. 98.

44. *Quer.* An valeant Vota impeditiva majoris boni? *Resp.* Negative. Tambur. in Decal. d. lib. 3. cap. 15. §. 3.

45. *Quer.* Quæ sint Vota impeditiva majoris boni? *Resp.* Eorum cognitionem pendere à circumstantiis loci, temporis, & personæ, per prudentem virum considerandis. Ut plurimum autem sequentia Vota non valebunt, tanquam impeditiva majoris boni; videlicet Primo, Votum de nunquam vovendo. Secundo, Votum de contrahendo

do Matrimonio etiam cum puella paupere, vel cum meretrice; nisi tibi matrimonium esset necessarium ob nimiam incontinentiam refranandam. Tertiò, Votum non suscipiendi sacros Ordines; nisi ex nimia humilitate, ut in Sancto Francisco. Quartò, Votum non petendi dispensationem à Voto; quando subsit causa legitima, aut necessaria petendi dispensationem. Tambur. *dict. lib. 3. cap. 15. §. 4. & Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 8. num. 47. & seqq.*

46. *Quer.* An valeat Votum, cuius materia partim est apta, sed partim est inepta? *Resp.* Cum distinctione; si pars materiae ineptae est divisibilis, & separabilis à parte apta, valet Votum in ea parte, quae apta est; secus si ab invicem separari non possit. Hinc, qui vovit dare decem pro eleemosyna, & non potest dare nisi quinque, tenetur illa quinque dare. Qui vovit jejunare tali die; si ob defectum stomachi non possit stare sine cibo usque ad meridiem, est liber à Voto. Tambur. *dict. lib. 3. cap. 15. §. 5. Sanchez d. lib. 4. in Decal. cap. 10.*

47. *Quer.* Si quis vovisset peregrinationem equestrem ad Urbem Romam, teneatur ad Votum, si careat equo? *Resp.* Non teneri. Tambur. *d. lib. 3. cap. 15. §. 5. num. 4.*

48. *Quer.* Quenam Regula servanda, dum sumus in dubiis, & agitur de interpretatione Voti? *Resp.* Regulam esse, ut Vota benigne interpretentur; ita, ut quanto minus sit possibile, gravent Voventem. Layman, *lib. 4. de Voto cap. 3. num. 3.* Tambur. *dict. lib. 3. cap. 15. §. 6. ubi num. 3. dicit, quòd, qui vovit peregrinationem, potest eam adimplere equitando. Qui vovit audire Missam quotidie, non tenetur die festo, nisi unam Missam audire. Qui vovit recitare Rosarium, satisfacit recitando tertiam partem tantum, vel alternatim cum socio. Qui vovit jejunium, more Ecclesiastico jejunare tenetur; ita, ut si dies jejuni incidat in die Dominico, vel in die festo Corporis Christi, debeat die praecedenti jejunare. Et qui vovit jejunare singulis sextis feriis, si eo die incidat Natalis Domini, non tenetur jejunare, nisi expressè exclusisset eandem festivitatem.*

49. *Quer.* An si quis voveat jejunium ex devotione, & ea die comedat semel carnes, & jejunium frangendo peccet; teneatur ulterius, eo die abstinere ab esu carniū? *Resp.* Negat Sanchez in Decal. *lib. 4. cap. 11. num. 42.* quia cessat facultas eo die jejunandi, & sicut alii possunt carnes eo die comedere; ita & illa Vovens. Affirmat tamen Suarez *lib. 3. de Voto cap. 7. num. 9. & 12.* putans, ob votum jejuni illum diem factum esse diem Vigiliae de praecepto, in quo, qui fregit jejunium, tenetur abstinere ab esu carniū. Utramque opinionem ait Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 3. & Tambur. dict. lib. 3. in Decal. cap. 15. §. 6. num. 11.*

50. *Quer.* An qui vovit jejunare in pane, & aqua; possit bibere de mane parum aquae vitae? *Resp.* Possit, quia bibitur pro corroboratione stomachi tantum; & est quid pa-

rum, quod non offendet Votum. Tambur. *dict. lib. 3. cap. 15. §. 6. num. 14.*

51. *Quer.* An qui Votum fecit de jejunando in pane, & aqua tali die; si vinum semel bibat, teneatur iterum abstinere à vino; vel, cum sit violatum Votum, possit deinceps bibere vinum? *Resp.* Affirmare Sanchezium *lib. 4. in Decal. cap. 11. num. 41.* Negare Castropalaum *tom. 3. tract. 15. disp. 1. punct. 12. num. 19.* Sed distinguere Tamburin. *dict. cap. 15. §. 6. num. 17.* Vel vovit abstinere à vino tota illa die? & tenendum cum Palao. Vel vovit simplex jejunium, & adherendum Sanchezio.

52. *Quer.* An qui pariter vovit jejunare in pane, & aqua, possit comedere pastillos esculentos ex farina coctos in aqua, quos appellamus *Macherones*, seu *Vermicelli*, sive *Bigoli*, aut *Sugoli*? *Resp.* Negative; quia habent formam pulmenti: quod repugnat austeritati intellectae per panem, & aquam. Tambur. *dict. lib. 3. in Decalog. cap. 15. §. 6. num. 20.* Ubi tamen concedit, posse elixari panem in aqua ebulliente, & ex utroque fieri vulgò la *Panada*. Nam, sicut panis potest assari ad prunas absque fractione jejuni, vel in furno, ita elixari in aqua.

53. *Quer.* An qui vovit abstinere à lacticiis, possit comedere carnem? *Resp.* Negative; esset enim ridiculum, ut qui non potest comedere ovum, possit comedere gallinam. At è contra, qui vovit non edere carnem, potest edere lacticia. Tambur. *d. §. 6. num. 21.*

54. *Quer.* Quid agendum, si quis vovit dare pro eleemosyna rem indeterminatam? *Resp.* Poterit eam determinare cum minori incommodo ipsius voventis, sed absque fraude, & cum consilio viri prudentis. Tambur. *d. lib. 3. cap. 15. §. 7. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 13. num. 19.*

55. *Quer.* Quot, & quibus modis cesset obligatio voti? *Resp.* Cessare quinque modis. Primò, ex natura rei. Secundò, ex lapsu temporis. Tertiò, ex irritatione. Quartò, ex dispensatione. Quintò, ex commutatione.

56. *Quer.* Quomodo ex natura rei voti obligatio cesset? *Resp.* Si emergant tales circumstantiae, quarum causa votum adimpleri non possit absque iactura vitae, honoris, familiae, aut alterius gravi damno juxta prudentum virorum consilium. Vel mutatio rei succedat. e. gr. Si vovisti dare eleemosynam quotidie Petro; & hic dives evadat. Vel ad obtinendam sanitatem filii, & hic moriatur. Tamburin. *d. lib. 3. cap. 16. §. 1. num. 2. ubi num. 4. advertit, quòd qui adimplet votum, licet non recorderetur de ipso Voto, non tenetur amplius adimplere; agitur enim de actu Religionis, cui satisfecit per adimplementum promissionis, quamvis desit intentio ex doctrina Cardinal. de Lugo *tom. 1. de Just. & Jure disp. 4. num. 46.* Non obstantia contraria opinione Doctorum, quando agitur de re debita ex Iustitia, ut videri potest apud Dianam *part. 6. tract. 6. res. sol. 43.* Quae in Coordinato est *tom. 1. tract. 6. res. sol. 33. & res. sol. 55.* ubi loquitur de illo, qui*

qui adimplet Pœnitentiam Sacramentalem, absque explicita intentione illam adimplendi, sunt enim contrariæ DD. opiniones, an teneatur iterum adimplere illam.

57. *Quer.* Quomodo cesset obligatio Voti ex lapsu temporis? *Resp.* Quando quis vovit, se aliquid facere in aliquo peculiari tempore tantum, & non potuit, vel neglexit eo tempore adimplere; ut, si quis vovisset peregrinari Romam Anno sancto; vel jejunare totis sextis feriis hujus Anni; si enim omiserit implementum Voti, & transactus sit Annus, non tenetur amplius adimplere, secus autem, si tempus præfixum fuisset ad incipiendam obligationem voti; vel intentio voventis fuisset, remanere obligationem, etiam transacto eo tempore. *Tambur. d. lib. 3. cap. 16. §. 2. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 14. num. 32. Bonacina de Voto disp. 4. quest. 2. p. 5. num. 9.*

58. *Quer.* Ex irritatione quomodo cesset obligatio Voti? *Resp.* Quando Superior voventis votum irritat, nolens illud à suo subdito adimpleri. Superior autem dicitur Pater erga filium, Dominus erga servum, Prælati erga Religiosum, Tutor erga Pupillum, Curator erga minorem, Avia, & Mater, mortuo Patre, erga nepotem, seu filium, Socrer erga generum carentem proprio Patre, Maritus erga Uxorem, & Abbatissa erga Moniales. *Tamburin. dict. lib. 3. cap. 16. §. 3. Sanchez lib. 4. in Decal. a cap. 29. & seqq. Collegium Salmanticen. in Cursu Theol. Mor. tom. 4. tract. 17. cap. 3. per totum; & Mastrius in Theol. Mor. disp. 11. num. 67.*

59. *Quer.* An supradicti Superiores possint irritare omnia Vota suorum subditorum? *Resp.* Eos posse irritare vota personalia, qualia sunt jejunia, orationes, disciplinas, ingressum in Religionem, & similia, si emissæ sint ante annos pubertatis; videlicet, ante annum 14. in masculo; ante annum 12. in femina. Vota verò realia, nempe de elemosyna, & quæcunque alia, quæ licet personalia causarent magnam perturbationem in familia, etiam post pubertatem possunt à prædictis Superioribus irritari. *Tamburin. dict. cap. 16. §. 3. ubi DD. Sanch. in Decalog. dict. lib. 4. cap. 35. num. 15. & Colleg. Salmantic. dict. tom. 4. tract. 17. cap. 3. punct. 8.*

60. *Quer.* An Pater possit irritare vota filii emissæ ante pubertatem, si jam egressus sit de pubertate? *Resp.* Affirmative. *Salmantic. d. cap. 3. num. 73. etiam si filius factus pubes esset emancipatus; dummodo tamen non ratificasset illa vota post pubertatem, vel post emancipationem, & nisi in emancipato votum esset reale.*

61. *Quer.* An Superior possit irritare vota subditorum, quorum adimplementum destinatum fuit à vovente tempore finitæ subjectionis? *Resp.* Affirmative. *Salmantic. d. cap. 3. num. 74. & ibi DD. Tambur. d. lib. 3. cap. 16. §. 3. num. 49.*

62. *Quer.* An Vota emissæ tempore, quo vovens non erat subditus alicujus, possint irritari à Superiore, cujus postea vovens factus est subditus? *Resp.* Negative; sed tan-

tummodo potest suspendere executionem illius Voti, si sibi sit præjudiciale. *Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 31. num. 9. Salmantic. d. cap. 3. num. 75.*

63. *Quer.* An Superiores prædicti possint irritare vota subditorum emissæ de eorum licentia? *Resp.* Non esse concordēs DD. alii enim negant, alii affirmant. *Tambur. dict. lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 3. num. 15. ubi alios allegat.*

64. *Quer.* An requiratur causa in Superioribus volentibus irritare vota subditorum? *Resp.* Negative, imò possunt irritare, etiam subditis contradicentibus. *Tambur. ibid. num. 13. & 14.*

65. *Quer.* An Superiores Regulares possint irritare Vota Novitiorum? *Resp.* Negative, nisi vovissent ante pubertatem; tunc enim possent Superiores Regulares illa irritare, quia succedunt loco parentum. *Tambur. d. cap. 16. §. 3. num. 40. & 41.*

66. *Quer.* Quæ vota emissæ ab Uxoribus possint irritari à Marito? *Resp.* Ea omnia, quæ præjudicant rectæ domus gubernationi. *Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 3. n. 7. & disp. 39. num. 4. & in Decalog. lib. 4. cap. 34. num. 3. Tambur. d. §. 3. num. 48.*

67. *Quer.* An Uxores possint irritare vota maritorum? *Resp.* Affirmative, si sibi sint præjudicialia, puta de Castitate servanda, de peregrinatione assumenda, de rigorosis jejniis ineundis. *Tamburin. d. §. 3. num. 54.*

68. *Quer.* Quis possit tollere Vota per dispensationem? *Resp.* Superior Ecclesiasticus vi suæ Jurisdictionis. Videlicet, Papa in omnibus votis, & cum omnibus personis. Episcopus in sua Diocesi, & Legatus in sua Provincia. Capitulum Sede Vacante. Prælati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem. Summus Pœnitentiarius; Vicarius Episcopi; & Confessarii ex speciali delegatione Episcopi; hi omnes possunt dispensare in votis, si iusta causa subit, exceptis tamen votis quinque; videlicet: Primo, Castitatis perpetuæ. Secundo, Religionis. Tertiò, peregrinationis Romanæ. Quarto, Hierosolymitanæ. Quintò, Compostellanæ. *Tamburin. d. lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 4. num. 4. & num. 26. & seqq. ubi num. 32. notat, supradicta Vota reservata posse dispensari ab Episcopo, si fuerint conditionata, vel pœnalia; quod latius examinat Pax Jordanus tom. 2. lib. 9. tit. 1. præcipue à num. 271. ad quem in praxi nunquam me pœnituit recurrere.*

69. *Quer.* Quis possit dispensare vota emissæ ab Episcopo? *Resp.* Vel Archiepiscopus vel ipse Episcopus erga semetipsum immediate; vel mediante suo Confessario, ei impertiendo facultatem, ut illum ab obligatione Votorum liberet, tam in Confessione, quam extra. *Tamburin. dict. lib. 3. cap. 16. §. 4. num. 6.*

70. *Quer.* An Regulares habeant Privilegium dispensandi cum secularibus in Votis? *Resp.* Affirmative, si sint ritè approbati ad eorum confessiones audiendas. *Pellizar. in Manuali Regular. tract. 8. cap. 3. num. 141.*

82 Erot. Eccles. Cap. XLVII. De Tert. Decal. Præcepto.

Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 43. Alcanius Tamburin. de Jure Abb. tom. 2. disp. 19. quæst. 8. & ipse Thom. Tamb. dict. lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 4. num. 46. 47. & 48. ubi refert ipsa Privilegia; & num. 49. ubi ponit Catalogum Votorum, à quibus possunt Confessarii Regulares absolvere pœnitentes. Idem ego docui de Pœnitentia decis. 46. num. 19.

71. *Quer.* An Abbatissæ possint dispensare, vel commutare Vota suarum Monialium, vel Novitiarum? *Resp.* Negativè. Nam irritare quidem Vota earum possunt ob auctoritatem dominativam, qua polent; non autem dispensare, vel commutare; quia opus est jurisdictione Ecclesiastica, qua ipsæ carent. Sanchez lib. 4. Decal. cap. 39. num. 7. & Tambur. dict. lib. 3. cap. 16. §. 4. n. 9. Vide dicta supra cap. 10. quæst. 6.

72. *Quer.* Cum dictum sit, opus esse iusta causa ad dispensandum in Votis; quæ etiam requiritur, etsi minus urgens, ad commutandum; quæ sit iusta causa ad effectum præmissum? *Resp.* Iustam causam esse: 1. Imperfectam deliberationem in vovente, vel respectu ætatis, vel iræ, vel alterius passionis, vel timoris naufragii, aut alterius mali. 2. Si damnum aliquod considerabile imminet in executione voti. 3. Si ex dispensatione sequatur bonum majus spirituale. Dicitur spirituale, quia bonum temporale sequiturum sufficit ad commutandum Votum, non etiam ad dispensandum. 4. Si agatur de evitando gravi damno etiam temporali alicujus alterius personæ. Tamburin. d. lib. 3. cap. 16. n. 10. & seqq.

73. *Quer.* An sit differentia inter potestatem Episcopi; & inter potestatem Regularium quoad dispensationem, vel commutationem Votorum? *Resp.* Hanc esse differentiam, quod Episcopi dispensare possunt cum solis suis Diocesanis; At Regulares cum omnibus ad se accedentibus. Item Regularium potestas non se extendit ad illa quinque Vota reservata Summo Pontifici; At potestas Episcoporum aliquando se extendit etiam ad illa quinque, puta si sint pœnalia, factave sub conditione; vel in casu urgentis necessitatis. Item Episcopi possunt delegare alii dictam potestatem; non autem Regulares. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 27. Pellizar. d. tract. 8. cap. 3. num. 153. & Tambur. dict. cap. 16. §. 4. num. 50. & 51. Porro convenit Potestas Episcopi, & Regularium, quia utrique possunt dispensare, vel commutare extra Sacramentum Confessionis, ac etiam absentibus, & per litteras. Item utrique dispensant in votis conditionatis, vel pœnalibus (excipe illa quinque reservata Papæ.) Item utrique dispensant in voto castitatis emisso à Coniuge ad effectum, ut possit petere debitum. Tamburin. ibid. num. 52. 53. 54.

76. *Quer.* Qui possint commutare Vota? *Resp.* Omnes supradicti, quibus potestas est dispensandi; ac ulterius ipse vovens, si commutet in melius, nisi agatur de præjudicio Terti, ut si vovisses dare

decem Titio pauperi, qui acceptavit obligationem tuam; non enim poteris commutare votum illud, dando alteri viginti, Tamburin. dict. lib. 3. cap. 16. §. 5. num. 4. & 5. At commutare in minus, ipse vovens non potest, imò neque Episcopus, neque Superior, aut Confessarius absque iusta causa, quamvis sit tempus Jubilæi, Tambur. dict. §. 5. num. 8. & 9. In æquale autem, utrùm ipse vovens possit suum votum commutare, alii asserunt, alii negant, quos citat Tambur. dict. §. 5. num. 12. 13. & 14. ubi dicit, utramque opinionem esse probabilem; præcipue si iusta aliqua causa sic commutandi concurrat; & æqualitas servetur, juxta doctas regulas, quas ipse adjungit ibid. §. 6. quem adire juvabit, ubi de commutando aliquo Voto contingat.

77. *Quer.* An facta commutatione voti, liceat redire ad primum votum? *Resp.* Affirmativè. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 27. Tamburin. dict. cap. 16. §. 7. num. 4. Quod si materia commutata fiat impossibilis, non est opus reassumendi primum votum; quia primum votum jam extinctum est. Idcirco, si oratio, vel elemosyna ex voto commutata sit in jejunio certi alicujus diei; & in illo die tu non potuisti jejunare ob infirmitatem, non es obligatus facere pristinam orationem, vel elemosynam. Castropal. de Voto disp. 2. punct. 18. num. 2. Tamburin. dict. lib. 3. cap. 16. §. 7. num. 1. Quæ quidem sunt intelligenda de commutatione facta à Superiore. Quandoquidem si propria auctoritate vovens commutasset sibi votum in materiam majorem, vel æqualem, & hanc adimplere non possit, utique tenetur servare primum votum. Tamb. d. §. 7. n. 6.

78. *Quer.* An Votum perenne factum ab aliqua Communitate jejunandi tali die, vel eum servandi festivum de Præcepto singulis annis, obliget omnes posteros, ac successores ejusdem Communitatis? *Resp.* Affirmativè. Gobatus in Theol. Exper. tract. 5. num. 86. ubi DD. qui suadant in assignanda ratione hujus obligationis, de qua videatur S. Thom. 2. 2. quæst. 98. art. 2. & Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 15. num. 16. 17 & 18.

CAPUT XLVII.

De Tertio Decalogi Præcepto.

1. *Quer.* Quid jubeat hoc Præceptum? *Resp.* Sanctificationem Festorum juxta illud: Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Exod. 20. 9.

2. *Quer.* Quid intelligerent Hebræi appellatione Sabbati? *Resp.* Quod intelligebant tria. 1. Ultimam diem hebdomadæ, quam etiam nos Sabbatum vocamus. 2. Totam integram hebdomadam, idcirco dicebat Pharisæus ille: Jejunio bis in Sabbato. Luc. 18. id est, bis in hebdomada. 3. Quamlibet diem festivam, cujus sanctificatio erat injuncta Hebræis, quibus dictum erat Levit. 23. A Vespere in Vespere celebratis Sabbata vestra; id est, festivos dies vestros. Pax Jordan, rom. 2. lib. 11. tit. 1.